Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26354
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suum non esse de hoc mundo. utique ostendit se re-
gem esse. sed regnum suum non esse de hoc mundo
sed super hunc mundum quod in eternum maneat
super futurum seculum. Cap. ix. In quo ex predictis
suppositis de christo predicta similitudo parabole adaptatur eidem
Ex predictis igitur de et incarnatione et modo et ordine incarnationis
predestinato regno Christi in eternum super-
futurum seculum. prehabitis et prostensis patet predictam
similitudinem de nobili et regali homine qui abiit in re-
gionem longinquam accipere sibi regnum. satis pro-
prie et convenienter Christo incarnando et principaliter circa
sue incarnationis precedende et inveniende
potuit adaptari. Iste enim nobilis et regalis
homo est Christus filius dei homo factus per incarnationem
et humane nature assumptionem a deo verbum in utero.
qui non dicitur homo simpliciter et communiter. sed quidam homo ut
notetur in eo singularitas quantum ad gratiam non solum
capitis sed et persone singularis. et dicitur homo quidam
nobilis. quia singulariter nobilis et nobiliter singularis.
quia ex parte patris secundum divinitatem est unigenitus
summi Regis. ex parte matris secundum humanitatem primo-
genitus regalis virginis de regia stirpe
originem trahentis. ¶ Iste ergo homo nobilis per in-
carnationem abiit de sinu patris a summo celo
egressus in regionem longinquam. scilicet vel in
hunc mundum vel ad humanam naturam a divinitate
sua extrema distantia remotam. accipere sibi secundum
propriissimam et perfectissimam rationem universale regnum an-
gelorum et hominum et totius futuri seculi in eternum.
quia ab eterno predestinatus fuit ad illud regnum
tanquam heres ipsius et rex et dominus naturalis. et
notabiliter dicitur accepisse sibi regnum. quia per vim non
obtinuit ab alio quasi alienum. sed accepit ut

tamquam suum. nullo prohibente vel resistente. ¶ Quo me-
dio autem tempore acciderit populum illum. scilicet partem populi super quos
regnare debuit captivari etc. Medium tempus
inter eternam predestinationem ad illud regnum et inter
finalem et actualem acceptionem ipsius regni fuit
tempus lapsus et destitutionis primi hominis. Pro nunc
iuxta statum innocentie hominis non lapso distin-
gui triplex tempus. videlicet tempus prestitutionis hoc est
eternitas predestinationis. quod non dicitur proprie tempus sed
punctus eternitatis cum toto tempore stans et ipsum
ambiens et continens. quod appellat apostolus tempus
ante tempora secularia. Et tempus institutionis. videlicet
prime creationis angelorum et hominis in qua angelorum
et hominum natura ad hoc per creationem temporaliter est in-
stituta. ad quod per predestinationem fuit eternaliter
prestituta. Et tempus profectus sive defectus. quo post
suam creationem boni angeli sunt conversi vel con-
firmarentur. mali angeli aversi vel dampnare-
tur. qualiscumque potuerat fuisse illa mora. et homo
per gratiam. vel in qua creatus esset. vel quam postmodum
accepisset proficeret vel suo tempore ad statum glorie
perveniret. ¶ Homine vero lapso quantum ad ipsum ho-
minem possunt distingui triplex tempus. inter ipsius
hominis prestitutionem per predestinationem. et inter ul-
timum finis sui consecutionem per extremum ex-
amen et retributionem. videlicet tempus institutionis
quantum ad ipsius hominis primam creationem. et tempus de-
stitutionis quantum ad hominis lapsum per primam transgressi-
onem. et tempus restitutionis hominis quantum ad ipsius re-
demptionem et liberationem. et sic inter tempus institu-
tionis et tempus restitutionis ipsius hominis medium
tempus est tempus destitutionis in quo homo lapsus
est. et non dum erectus iacet. ¶ Hec itaque me-

Cap. viiii. In quo ex predictis suppositis de christo predicta similitudo
parabole adaptatur eidem et incarnatione et modo et ordine incarnationis